

08
Ge

J. O. 590.



Fortunante **CHRISTO!** &
EXERCITATIONUM ETHICARUM
Ad Lib. V. Ethic. Nicom. Aristot.

SEPTIMA,

De
JUSTITIA,

quam

PRÆSIDE,

Dn. FRIDERICO CAHLENO,
M. P. L. C. Gymnasij Rectore, Præcepto-
re suo æviternūm colendo, tueri
pro virili conabitur

GOTTERFRIDUS HILLMANNUS
Camentio - Lufatus,

A. D. IO. Januarij, A. O. R. cīc Iœc LIX

*In Auditorio Majori
horis ab LIX. matutinis.*

JENÆ,
Prelo Sengenvvaldiano.

Inclytæ civitatis
Camentij
Nobili, Inlyto, & Amplissimo
senatui Dnnnn.

Consulibus, Judici,
cæterisque
Senatoribus ac Scabinis;
Viris nobilissimis, amplissimis, excellentiâ,
eruditione, prudentiâ, pietate, multoq; rerum usu &
experienciâ clarissimis, præstantissimis, Dominis Pa-
tronis promotoribus ac Mecenatib; suis, omni
bonoris, ac Observantia Culiu
etatem devenerandis.

vt &
Clarissimo, Doctissimo, præstantissimo, va-
riâg; rerum prudentiâ, & experienciâ
iusigniter conspicuo,
Dn.

Leonhardo Fritschio,
Redituum Electoralium per superiorem
Lusatiam Secretario fidelissimo, gravissimo, Pa-
tronò, Promotori, ac Evergetæ suo æternâ
mentis observantia prosequendo

Has studiorum suorum primitias
cum æviternæ prosperitatis voto,
In debitæ observantiae & gra-
titudinis tesseram Sa-
cratas cupit

Gottfried Hillman Respondens



Fortunante CHRISTO!

ΠΡΟΠΑΙΔΙΑ ΑΝΑΛΥΤΙΚΗ.

Accedimus tandem σὺν θεῷ παλάμᾳ, post expositas virtutes morales simplices ad compositam sive complexam, nempe JUSTITIAM, de quâ Philosophus Libro V. Ethic. Nicom. partim *theōricē* partim *problematicē* agit. Thesin tractatum in *genere* per Justitiæ Universalis definitionem & distinctionem, ubi de Justitiâ legali agit Cap. I. tum in *specie* & quidem vel *summatis* de *Justitiâ particulari*, quoad definitionem Cap. II. vel *distinctim*, dividendo illam in *distributivam*, tum *absolute*, de materiâ ejus, quæ sunt res & personæ, & formâ quæ est

æqualitas tum *respectivè* quoad
excessum secundum plus & minus,
Cap. III. Et *Commutativam*, vel in
se ratione *rei*, quoad *materiam* &
formam, & ratione *nominis* Cap.
IV. vel per *accidens de Talione*, tum
ex aliorum tum ex suâ sententiâ
Cap. V. *Problematice*, de *Justitiæ*
effectu, scil. de *jure*, vel quoad *habi-*
tum, unde acquiratur, respectu *juris*
tum *politici*, tum *œconomici*, Cap. VI.
Et illius subdivisio in *Naturale* &
Legale juxta sententiam tum erro-
neam, tum veram, Cap. VII. vel
quoad *actiones* & harum in genere
tum distinctionem tum applicatio-
nem, Cap. IX. In specie respectu
subjecti tum *patientis*, utrum quis
spontè possit affici *injuriâ*? Cap.
X. tum *agentis*, utrum æquitas sit
iversa à *Justitiâ*. Cap. X. De quibus
immatim ponimus.

Ex

EX C A P. I.

THESSIS I.

JUstitia est habitus, quo homines idonei sunt ad agendum ea, quæ justa sunt, eademque agunt, & volunt.

ΕΚΔΕΣΙΣ.

Justitiæ vestiganda nobis erit natura & oppositum. Quoad illam occurrit tum definitum, tum definitio ipsa. Illud est Justitia, cuius notanda 1. *Etymologia*: juxta quam aliis derivatur à *sistendo jure* quasi *juristitia*, *Hotoman. ad pref Inst.* quod in cā jus consistat. Alij à *subjecto*, sc. à *justo*, quod non nisi in viris justis reperiatur. Alij ab *objec̄to* nim. à *jure*: quod *Etymon* videtur esse convenientissimum. 2. *Homonymia*. Sumitur vox 1. *Theologice*, & tum Deo & Christo, tum hominibus tribuitur, quas acceptiones apud *Theologos* & *Ravanello* in *Biblioth. Meisn.* p. 2. *Phil. S. f. I. c. I. q. 27.* videre licet. 2. *Philosophice* & quidem vel *impropriè* & *equivocè* tribuitur tum *brutis*, *Ælian. l. 2. de animal. c. 8.* *delphinos justos vocat*, tum *predonibus*

D 3

C.

Cic. lib. 2. offic. dum rapinas justè partiuntur: vel propriè ac Ethicè, & quidem vel generice, prout omnes complectitur virtutes, & dicitur *justitia universalis*, quæ hic ab Aristotele præcipue definita fuit, vel specificè, pro certâ virtute, quæ suum cujque tribuit in externis rebus, præmiis scil. & pænis, contractibus & commerciis. *Synonymiam* brevitatis studio non addimus cum passim apud Philolog. & Philosophos occurrat. *Definitio* ipsa constat i. *Generere*, quod est habitus. i. quia virtus omnis in habitu consistit. 2. quia oppositum ejus in *Justitia*, est habitus per quem volumus & agimus injusta. II. *Differentia* sumitur 1. *ā subjecto*, quod sunt homines: quia ut virtus omnis, sic & justitia, hominis bonum est, ita non nisi homini convenire potest. 2. *ab objecto*, sc. iis, quæ *justa* sunt. Quia justa sunt, quæ rectæ rationi & legibus sunt congrua; qualia postulat justitia. 3. *ab adjunctis*, quæ sunt 1. *dúværis* facultas sive *idoneitas* barbarè loquendo. 2. *πρᾶξις* s. *actio*, quia justitiæ habitus practicus est, & vult ut facultas illa in actum deducatur, justa

justa operando. 3. Βέλησις s. voluntas, ne actio justitiae sit invita, ignorata, aut fortuita, sed deliberata & destinata.

THESES . II.

Dividitur justitia in universalem & particularem.

ΕΝΤΕΣΙΣ.

Dari justitiam Universalem probant
 1. **principia Naturae practica**, quæ ad unam aliquam virtutem ob latitudinem suam referri nequeunt 2. **generale effatum** illud: **Quod Tibi non vis fieri, alteri ne feceris.** 3. quia generalis legum observatio est justitia, unde & ipsa Legalis dicitur 4. quia cū omnibus virtutibus ipsa est complexa & conjuncta 5. quia omnes Ethici unanimi consensu eam admittunt An v. hæc divisio sit generis in species, quod quidam volunt, an distinctio æquivoci in sua æquivocata, quod alii sustinent, hic non dirimus: hoc interim asserentes, cùm Universalis Justitia sit complexus quidam omnium virtutum particularium, ita ut virtus & Justitia re unum idemque sint, distinguanturque solum ratione, sive con-

D 4

ceptu

ceptu intellectus nostri, non posse natu-
ram specie illam hic sustinere.

THESES. III.

*JUstitia Legalis & virtus perfecta,
ad alium relata.*

EXPOSITUS.

Legalis dicitur à Legibus, quia ad omnes sese leges & harum obedientiam extendit, & hinc præstantissima, perfectissima & utilissima est virtus: 1. quia est magis admirabilis, quam vel Hesperus, vel Lucifer, uti Aristotel. loquitur. 2. quia omnibus commodat. 3. quia reliquas virtutes in se continet, & earum usum ostendit, juxta versum:

'Εν δὲ δικαιοσύνῃ συλληφθεῖ πᾶσ' ἀρετή σι.

Justitia in sese virtutes continet omnes.

Iccircò non est species virtutis, sed universa virtus, sicut Oppositum ejus *injustitia legaris παρανοία* sive universum vitium. Differt à quatenus justitia hæc refertur ad alios, h. e. ad bonum publicum promovendum dirigitur, in quo differt à generali virtute morali, quæ refertur ad habentes.

CAP.

CAP. II.

THE S. LV.

Datur *justitia quædam particularis.*

ἘΝΤΕΟΙΣ.

Quia 1. datur *injustitia particularis* ab universalis diversa. Nam actus cæterorum vitiorum, v. g. timiditatis, avaritiæ, &c. longè diversi sunt ab actibus *injustitiæ*, cuius etiam diversus finis est à finibus cæterorum vitiorum. 2. quia legum transgressio pertinet ad *injustitiam Universalem*, avaritia, luxuria &c. ad *particularem* 3. quia si universalis cum particulari eadem est sequitur, omnes qui *injustè agunt esse injustos* eodem modo.

THE S. V.

JU*stitia particularis cum universalis
convenit & differt.*

ἘΝΤΕΟΙΣ.

Convenit quidem in genere, quoad nomen sed differt multifariam 1. objectis. Nam universalis versatur circa omnium virtutum objecta, ut & bona animi, cor-

D S

PO-

atu-

Eta,

ad
am
tis-
na-
vel
ua
vir-
en-ed
n-
m
e-
m
râ
ur

P.



poris & fortunæ; particularis v. circa propria & bona corporis & fortunæ, in quibus plus aut minus damni aut lucri subest.
 2. *Actionibus.* quia illius actiones circa omnes virtutes occurunt; hujus vero in commutando & distribuendo versantur.
 3. *Finibus.* Illa finem cum reliquis virtutibus communem habet; hæc vero sc. particularts finem habet proprium, servare æqualitatem in bonorum & malorum distributione & commutatione. 4. *Lati-*
tudine. illa ab hæc dissert, ut totum à parte, & hanc sub se complectitur.

THESS. VI.

JUstitia particularis est virtus moralis mediocritatem servans circa rerum externarum distributionem & permutationem, quantum cuiq; debetur.

ΕΝΤΕΣΙΣ.

Est certa virtutum moralium species, dum circa mores & actiones in distribuendo & permutando res externas, circa quam tanquam objectum suum, versatur, nomine

ne, ut æqualitas & æquitas in illis servetur. Alias à ICris, l. 10 ff. de just. & jure ut & lib. 1. inst. Justin. definitur: quod sit *constans & perpetua voluntas, ius suum unicuique tribuendi.* Ubi per voluntatem intelligitur habitus προάγεσις. Pac. in not. ad inst. per metonym: causæ Vocibus illis: *perpetua & constans*, significatur habitus, non quidem ratione actus continui, sed ratione objecti, ut aliquis perpetuo velit justè agere. Per ius suum intelligitur illud, quod jure unicuique debetur. Voce *tribuendi* uterque actus intelligitur, qui in distribuendo & commutando exercetur. Vide Ethic. Horn. lib. 8. c. II. p. 453. Wescenbec. in paratit. de just. & jur.

THESES. VII.

Objectum justitiæ particularis internum est affectus circa bonum externum occupatus; Externum sunt res externæ distribuendæ & commutandæ.

Ἐκθεσις.

Quia ut in aliis virtutibus ita & hic ipsa

ipsa bonorum externorum appetitio, quam habitus hic moderatur, objectum est internum. Externum vero res ipsae externæ, non quidem ut sunt acquirendæ aut retinendæ, sed æqualiter distribuendæ & commutadæ. Hic enim finis est proprius huj' virtutis, nim. æqualitatē in omnib' distributionib. & commutationib' observare

THE S. II X.

Oppositum justitiæ particularis est *injustitia particularis.*

ἘΚΤΕΣΙΣ.

Injustitia vero particularis est vitium morale in excessu 1. in defectu peccans circa rerum externalium distributionem & commutationem. Hæc adinian nomine quidem una est, sed utriusque extremi significationem obtinet Arist. 4. ad Eudem c. 1. Nam & experientiâ teste, in excessu peccatur tota die per αὐριβοδίκασον. Unde natum illud tritū. *Summū jus summa sèpe injuria est.* CAP. III.

THE S. IX.

Justitia particularis duplex est: *Distributiva & commutativa.*

ἘΚΤΕ-

ἘΝΔΕΣΙΣ.

Illa est, quæ in æqualitate consistens secundum dignitatem personarum in distributione præriorum & paenarum occupatur secundum proportionem geometricam: Hæc est in inæqualitate, ut eam corrigat, estque vel in contractibus licitis voluntariis, ut in emtione, venditione &c. vel in contractibus fraudulentis, quæ delicta dicuntur, ut furto; vel in violentis, ut in contumeliâ, rapina &c. secundum proportionem *Arithmeticam*. Illa quippe est personarum ordinatio; hæc rerum distributio. Distinguuntur igitur objectis, & proportione.

THESES. X.

Divisio justitiae particularis in distributivam & commutativam, tanquam generis in species, est bona.

ἘΝΔΕΣΙΣ.

Quia sicut commutatio à distributione & æqualitas geometrica & arithmetica specie inter se differunt, ita etiam justitia, quæ circa distributionem versatur differt ab alterâ, quæ circa commutationem est

est occupata., 2. quia duplex est proportio
geometrica & Arithmetica. Ergo duæ e-
tiam sunt species justitiæ: ratio: quia justitia
observatur cum proportione 3. quia res,
per quas Justitiam alteri tribuimus , sunt
duplices, scilicet bona fortunæ, quæ sunt
honores & divitiæ, circa illos commutati-
va, circa has distributiva est **occupata.**
4. quia bona illa vel publica sunt quæ per
distributivam , vel privata , quæ per com-
mutativam dispensantur Magir. Eth. p. 462.

THE S. XI.

Distributiva Justitia est virtus,
mediocritatem servans circa bona
vel onera distribuenda communia in-
ter eos qui communitatis ejusdem sunt
participes, ita ut unicuique nec plus
nec minus tribuatur quam par est
εὐθεσίς.

In hâc definitione *Genus* constituitur
virtus, scil. remotum : nam immediate
cum Justitiâ particulari potius conjungi-
tur: retinetur tamen illud, quia est usitatus
& magis perspicuum, magis etiam exprimit
natu

naturam ejus , quod sit species virtutis. Differentia petitur à formâ. quod medium servet non quidem secundâm proportionem *Arithmeticam* uti voluit *Xenophon* neque Musicam neque *harmonicam* quod *Bodinus lib. 6. de Rep. c. 6.* probat. (quem vide refutatum ab excellentissimo Horncio pag. 470.) sed *Geometricam*: quia non omnes personæ sunt æquales aliudque virtuoso, aliud vitioso , aliud nobili aliud ignobili, tribuendum est. 2. quia uti se persona ad personam , aut meritum unius ad meritum alterius se habet; ita res, quæ uni cedit, aut onus, quod uni imponitur se habere debet ad rem, quæ alteri cedit, aut ad onus quod alteri imponitur. 3. quia nisi hoc fiat pessundantur Respubl.

*Nam id perire plurimas urbes facit
si vir probus fortis, mactus pectore
non auferat plus præmij, quam pessimi:*

Eurip. in *Hecubâ*.

2. ab *objecto* scil. externo, quod sunt tum *bona communia* v. g. præmia, honores, dignitates, officia &c. quæ pro meritis cuique distribuenda: tum *onera communia* v. g. *census, tributa, excubiæ &c.* quæ pro

con-

conditione personarum & bonorum in
Rēsp. ab ipsis possessorum imponenda.
3. à *subjecto*, quod est Civis, vel alius in Re-
publicā constitutus, cuius membrum est.
Quod enim non debetur alicui, ut præmū
vel onus publicum, illud ad commutati-
vam justitiam potius pertinere dicitur.
4. ut æquum à proportione servetur se-
cundum merita personarum. Nam æqua-
litatem rerum inter se sequitur etiam æ-
qualitas personarum, alias causæ sunt justè
conquerendi. In Justitia distributiva verò
æqualitas illa desumenda est ex dignitate
personarum, respectu laboris & mercedis.

THE S. XII.

CAP. IV.

*JUstitia Commutativa est virtus
moralis, quâres ad humanum usum
spectantes ita commutantur seu com-
pensantur, at uni non plus, alteri mi-
nus relinquatur.*

ENDEC!S.

Sive ut supra ex Ar st. cap. 2. hujus
b. s. defin. v. mus : est Virtus quæ inc n-
tracti-

tractibus seu commerciis hominum emen-
 dandis versatur. Convenit cum distributi-
 va in eo, quod in utraque sit æqualitas,
 quia æquale est medium lucri & damni, &
 quia judex medius est, ut adæquet inju-
 riæ ex officio: sed distinguuntur à se invi-
 cem proportionibus, ut jam dictum. *Genus*
 cum distributiva commune habet. *diffe-*
rentia, petitur. I. ab *objeto*, quod sunt
res permutandæ gr. συναλλάγματα, com-
 mercia contractus privatorum hominum.
 Latius scil. sumto vocabulo, quam *ICTI*,
 ex l. 19. ff. de verb. signif. solent accipere.
 Dividuntur hic ab Aristotele contractus
involuntarios & *involuntarios*. Illi sunt qui
 mutuo paciscentium consensu constitu-
 untur, v. g. emtio venditio, locutio, mu-
 tuum, depositum, commodatum, Em-
 phiteusis, Feudum, Fidejussio stipulatio
 &c. Item contractus *innominati* v. g. Do,
 ut des; facio, ut facias; do, ut facias; facio,
 ut des. Et ab his sunt lucrum & damnum
 propriè dicta. *Involuntarij* sunt, quibus
 proximus læditur verbo vel facto, idque
 vel in judicio, vel extra judicium. De qui-
 bus videndi *ICti*, 2. à *forma* seu *medio* quod

E

est

est proportio *Arithmetica*; Cūm premium
rei, & pæna delicto, & contra æquatur, quæ
hic adhibenda est 1. propter honestatem,
2. æqualitatem, 3. necessitatem, 4. utilita-
tem, 5. permutationum veritatem. Quod
ut fiant requiritur 1. *rerum permutanda-*
rum estimium, 2. *permutantium judicium*
& 3. *permutationis equilibrium*. 3. à subje-
ctis ut distributiva publicis sic commutati-
va privatis convenit personis.

THES. XIII.

Oppositum Justitiæ est Injustitia.

ΕΝΤΕΟΣ.

Intellige non prout universali oppo-
nitur Justitiæ, & sic omnia vitia moralia
complectitur, diciturque *Injustitia Uni-
versalis*. Sed prout opponitur Justitiæ par-
ticulari, & definitur, quod sit *vitium mo-
rale secundum quod aliquis in distributioni-
bus & compensationibus æqualitatem unius
ad alterum violat*: hoc est alteri plus, alteri
minus tribuit. Cujus vitii tria sunt requisi-
ta: 1. ut erga alium agat, 2. ut sciens & vo-
lens injusta agat, 3. ut contra voluntatem
alterius agat. *Utrumq; extremum in excessu
& defectu pugnans uno nomine exprimi-*

tur *Injustitiae* quod applicatione quidem est unum idemque, ratione vero & modo diversum. Nam *injustus* unâ eademque actione inutroque simul peccat.

THESES. XIV.

IN*justitia hæc distribuitur in distributivam & commutativam.*

χολ. *Injustitia distributiva est vitium secundum quod bona vel onera Communia non aequaliter inter eos, qui communitatis alicujus participes distribuuntur.* Idque fit, cum medium juxta proportionem geometricam violatur. v. g. si pæna æqualis minus merito cum magis merito irrogatur, aut plus præmii datur minus merito de qua vid. *Excellentiss. Dn. D. Johan. Musæum Disp. pecul. de Aequal. in præm. & pæn. s. 36.* *Justitia commutativa est vitium juxta quod aequalitas in commutationibus (contra proportionem Arithmeticam) violatur.*

THESES. XV.

CAP. V.

JU*stitia commutativa non est idem cum talione.*

ἘΚΔΕΣΙΣ.

Cum commutativa in eo sit posita, ut quantum boni vel mali alter alteri facit, tantum recipiat, & vero *talio* nihil sit aliud, quam *reciproca perpetuo*, quā quis id viciōm patitur, quod alteri fecit, hinc pythagoræi, teste hīc Aristotele, omnem Justitiam nuda ~~re~~^{al} tatione comprehendendi statuerunt. Verum *talio simplex* neque ad distributivam, neque ad commutativam propriè quadrat, juxta philosophum, tum quod personæ non sint pares, nec res omnes aut facta æquè spontanea: veruntamen si adhibetur *talio proportionalis* & reddatur idem, non quod simpliciter sed ratione estimationis & æquitatis tale est non solum dari, sed & necessario dari talionem fatendum est: 1. quia alias stare non possit Respublica, nisi bonum pro bono aut malum pro malo præsertim in præmiis ac pænis daretur. 2. quia ipsa natura homines hanc docuit, *Arist. lib. 1. polit. cap. 6.* 3. quia quantum egit alter, tantum & alter patiatur, æquum est. Vide *Horn. lib. 3. cap. 13. p. sis.*

THES.

THESES. XVII.

Medium aequationis inventio est
numi.

ΕΝΤΕΣΙΣ.

Indigentia quidem per se est causa & quasi mensura omnis civilis societatis; quâ diversæ dignitatis homines & opifices ad communionem coguntur. Unde etiam fieri videmus in civitatibus, ut pro majori vel minori indigentiâ res nunc carius, nunc vilius vendantur sed per accidens societas hujus vinculum & quasi mensura rerum est *numus* lege & arbitrio hominum introductus, ut sit instrumentum amabile & idoneum commutationum & commerciorum inter cives & extraneos. Cum enim in omni societate sit permutatio, & sic quoq; æstimatio, ejus vicarius *numus* etiam ut adsit oportet: Et quia omnia metitur, ut ad æquet secundum usum, æstimium aut necessitatem. Tanti enim aliquid æstimatorum, quanti habetur ejus usus. *Vide Herk.* lib. i. pag. 517.

THESES. XVII.

E 3

CAP.

CAP. IV.

Effectum *Justitiae* est *Jus.*

ἐκθεσις.

Propositis nonnullis quæstionibus,
Aristoteles hoc c. 5. transit ad *Justitiae* scilicet
particularis effectum. quod est *jus*. Hoc se-
cundum D. d. scholasticos definitur: Re-
gula iusta seu mensura, quæ nos dirigit &
obligat in actionibus moralibus. Secundū
Ictos & Philosophos: *Jus* est *justitiae* effectū,
quod in mutu&societatis usu hominibus recta
ratio præscribit. Dividit illud in analogicū,
sive secundum quid, quale est oeconomi-
cum h. e. paternum, herile, matrimoniale
1. quia inter familiam nulla est lex pro-
priè dicta, siquidem ductu naturæ ad so-
cietas mutuæ conservationem homines
feruntur. 2. quia non sunt tales personæ,
inter quas lex propriè esse possit: & pro-
prium sive *Politicum* seu civile, quod ipse
simpliciter *jus* vocat, inter eos qui com-
munitate & societate vitæ inter se con-
juncti sunt, ut homines liberi, ad sufficien-
tem rerum necessiarum copiam.

THESES. XIIIX.

Cap.

CAP. VII.

Dividitur *juspoliticum* ab *Aristotele*, *b. l. in naturale & legale*.

Jus naturale à *Juris Consultis* definitur: *quod natura omnia animalia docuit*: Tit. 2. lib. 1. Instit. & lib. 1 cap. de jur. Veter enucl. in pr. quæ definitio non æquè omnibus magni nominis ICtis probatur, uti videri potest apud Dominum *Frantzkiām in Com. ad pandect. it. de Justitia & jure n. 106.* & seq. *Hahnium in observation. ad Wesemb. tit. 3. de J. s. J. n. 14.* *Hugo Grotium lib. 1. de jure P. & B. c. 1. n. 11.* Cum nullum *jus sine ratione subsistere possit*, quia cum in bruta animalia non cadat, etiam juris propriè nō posse esse compotes. Deinde inter quos *Jus est*, inter eos etiam est æquum & bonum, Lex & *Justitia*, uti cap. præced. Aristotel. docuit. Hæc verò cum brutis non competent, utpote quæ impetu naturali potius, quam certâ ratione reguntur: etiā *jus illis tribui nullum*, nisi analogice & improprie potest. Addunt authores citati. 3. rationē: quia non sunt *capacia contrarij sc. iujurię*: cùm enim *damnum dant*, non dicuntur facere *injuriam*, sed *pauperiem*. Verūm

hæc obiter. Philosophi sic describunt *jus naturale*, quod sit *rationis nostræ iudicium seu dictamen*, quo cognoscimus facienda esse recta & naturæ consentanea & fugienda contraria v. g. vim vi repellere licet: quod tibi non vis fieri alteri ne feceris. parentes sunt honorandi: Et alia principia practica & conclusiones ex his necessario & proxime deducuntur. *Jus Legale seu legitimum esse dicunt*, quod suam auctoritatem habet ex instituto quodq; post constitutionem omnes, quibus latum est obligat. Ejus varias divisiones in *jus Gentium & civile*, & hujus inscriptū, quod lex plerumq; dicirur, & non scriptū, quod consuetudo appellatur, nostri instituti non est, hic perquirere.

THES. XIX.

CAP. IIX. & IX.

O^Ppositum juris est injuria.

ΕΝΤΕΟΙΣ.

Est hæc juris violatio (effectum iniustitiae) cum a sciente & volente alicui invito prater meritum damnum infertur. Generaliter injuria dicitur omne, quod non iure fit. lib. 4. Instit. tit. 4.

§. I.

§. I. Specialiter modo culpam, & damnum culpâ datum Ulpian. l. i. *D. de injur. & fam: libel.* modo contumeliam significat. Et dividitur in *realem* quando manus inferuntur, & *Verbalem*, quando convitū fit ore, literis, libello, carmine aut alio scripto, in alterius infamiam. L. 5. §. I. *D. ad leg. Aquil.* Cæterum quæ Aristoteles his capitibus tradit de differentiâ actionū justarum & injustarum, quatenus vel spontaneæ sunt vel in vitæ: item quæ fiunt per ignorantiam & scientiam & inde resultantibus quibusdam quæstionibus v.g. *An quis injuriam sponte patiatur? An quis affectuum impulsu aliquid facit, injustè faciat, ne nimium excrescat hæc materia, alios præser-tim tractata fusijs, ea scientes ac volentes sicco, quod ajunt, pede transimus.*

THE S. XX.

CAP. X. & XI.

Cognatum *Justitiae, & juris est æ-quitas.* *ΕΝΔΕΟΙΣ.*

Est hæc correctio legis cā parte quā de-ficit ob suam generalitatem. Quod igitur scriptū jus generaliter præscribit & propter

varietatem circumstantiarū determinatae
definire nequit, id in specialibus negotiis
commode & benigne interpretatur æqui-
tas. Hæc est *velut anima legum & Lesbia*
quædam regula, ne judex in judicando
summum jus semper persequatur, quod
summa sæpè *injuria* est, sed ex æquo & bo-
no judicans habitâ præsertim ratione per-
sonæ peccantis, sententiam ferat, non ni-
mis rigidam. Æquitas hæc igitur iuri non
adversatur, sed ejus tantum est limitatio,
temperans rigorem. Legis seu juris, & pæ-
narum severitatem in delictis emolliens.

THESS. XXI.

EXtrema æQUITATIS sunt summū jus
(ἀκείβοδιαγόν) & malitiosa juris
interpretatio. (συκοφανία).

ἘΝΤΕΣΙΣ.

Illud est jus rigidum, quo quis simpliciter
verba legis Urget, sine ullâ mitiore eorum in-
terpretatione. Ideoq; summa sæpe est *injuria*
juxta *Comicum* ac propterea prorsus dam-
nanda, ut *Modestin.* in lib. 25. D. de LL. sta-
tuit satius namq; est de sententia Augusti-
ni, innocentem servare, quam nocentem

per-

240
natiè
otiis
qui-
sbia
ndo
uod
bo-
per-
ni-
non
tio,
pæ-
as.

jus
uris

iter
in-
uria
am-
sta-
usti-
tem
per-

241

perdere. Nimia iustitia incurrit peccatum, temperata facit perfectos. *Hoc est, cùm quis jus ipsum in iug calumniatur, & malitiose interpretatur fraudandi alterius gratia.* v. g. si quis triginta dierum inducias cùm hoste pactus &c. noctu populetur a gros, & ipsum opprimat quale exemplum est apud Cic. lib. i. off. & hæc quoque συνοφαλία à viri boni officio aliena est.

Consectaria Axiomata.

I. Philosophi & Icti considerant eandem iustitiam, licet non eodem modo.

De Justitiâ particulari nullum est dubium: de Universali probatur, quia hæc completitur omnes virtutes; At vero quæ à legibus præscribuntur æquè concernunt omnes virtutes, uti vel præcepta iuris innuunt, dum jubent honestè vivere, quod idem est, ac secundum virtutem vivere. Non verò eodem modo. Philosophi enim considerant iustitiam ut κατόρθωμα, seu regnum & perfectum officium. Icti verò ut καθηλον, seu medium aut conveniens. Philosophi potissimum spectant προαιρεσιν & in.



interiores animi motus; ICti vero actiones
præprimis externas.

**II. In panis irrogandis proportio A-
rithmetica est adhibenda.**

1. Quia alias secundum Geometricam proportionem, Virmagnus & benè meritus nunquam multandus esset ob id factū, ob quod plebejus puniri solet, & sic minuta furtā punirentur, sacrilegia vero in triumphis ferrentur, uti *seneca dixit ad Lucilium*. 2. quia viri magni delinquendo bis peccant, factonimorum & exemplo. 3. quia sciens & prudens qui delinquit, gravius delinquit. 4. quia ipsa lex divina ad stipulatur: *Magnum iudicabis uti parvum, nec erit apud Te acceptio personarum.* 5. quia Aristoteles cap. 4. asserit: nihil referre probus ne vir malum, an malus probum fraudet. Sed notandum, sententiam Aristotelis valere de jure divino & naturali: aliorum verò opiniones de jure civili & positivo. Vide *Tiraquell. in tract. de panis cap. 21. Arnis. in polit. lib. 1. cap. 18. Horn. Ethic. lib. 3. cap. 13. pag. 496.* Verum in hâc diffcili & vexatâ opinione nemini præjudicamus, parati meliora monenti cedere.

III. Ius

III. JVſ Civile non pugnat cum Naturali.

Est enim additamentum quasi ejus & limitatio pro ratione circumstantiarū, quod si jus civile in totum secedit à ratione naturali, non lex est, sed Tyrannis, Civilis enim ratio jura naturalia corrūpere non potest.

IV. QVi justa agit non statim dicendus est justus.

Multa enim differunt *justa agere*, quod solum modo actum notat, & *juste agere*, quod habitum importat; sicut igitur una hirundo non facit Veritatem nec una altera vice actio justa, facit habitum justitiae. 2. quia quod justum est, etiam puer mente captus vel temere vel fortuito quis potest agere, qui tamen propterea non agunt justè, quia non diriguntur à rectâ ratione, *uti scaliger loquitur in lib. 3. in Theophrast. de plant. c. 2.*

V. Περὶ σωποληψίας in justitia locum non habeat.

1. Quia repugnat legi divinæ, de non accipiendis in judicio personis. 2. refragatur justitiae distributivæ. 3. etiam lædit conscientiam judicis ex affectu animadvententis aut indulgentis. Sed distinguunt hic non nulli inter

εργωποληφίαν respectu ipsius personæ simpliciter consideratæ, & sic contraria est justitiae ac respectu qualitatum ac factorum personæ; & si admitti potest in distributivâ justitiâ quoad præmia & pœnas. Mitius enim animadvertisendum in Virum de Rep. diu & benè meritum, quam nihil aut parum meritū quâ personæ acceptance, justitia non violatur. Merita enim sunt norma & mensura præmiorum & pænarum. Vide D. Christ. Matthia, Disp. Ethic. 4. Colleg. 3. p. 425.

VI. *Ingratus peccat contra justitiam & omnes ejus species.*

Sicut enim *Gratitudo* est justitia jucundam accepti beneficij memoriam conservans & quantū fieri potest retribuens: ita qui per ingritudinem peccat, in ipsam justitiam beneficium acceptum tanquam non acceptum habendo, omnemq; justam compensationē negligendo, graviter delinquit. Quo vitio, ut nihil pejus, ita nihil hodie frequentius: Ut vero exclamare liceat cum *Catullo*:

Omnia sunt ingrata: nihil, fecisse benigne, est. Et verissimum deprehendatur, quod in senatu Imper. Caroli V. quondam pronunciavit Fridericus Dux Albae: Iste hodie malus obtinuit mos, ut summa beneficia non nisi ingenib; maleficiis recompensentur, sic Ciceroni caput præcidit Popilius Centurio quem ipse anteā in judicio scrvaverat. Julio Cæsari vitam proditoriè eripuit

put Cassius & complices quibus eandem antea donaverat: Cujus verba Laberius in theatro expressit hæc: *Meze servasse, ut essent, qui me perderent?* Eadem hodie fabula mutatis tantum personis agitur. Verum ubi benemeritis nulla, uti par erat, præmia conferuntur, nulla pro laboribus Herculeis gratia reponitur, sed pro Benefactis malefacta rependuntur, non solù ardor rem juvandi publicam & privatam frigescit, & languescit omnis in laborando industria, sed divina quoq; Nemesis istam insignem injuriam non relinquit inultam, uti exempla passim obvia comprobant.

VII. Injuria quandoque missa potius quam allicienda est.

Hoc est, ratio Christianismi flagitat, ne statim prosiliamus ad vindictam: sed patienter toleremus Deo permittentes vindictam. Ni modo injuriæ sint graviores & atrociores, aut repetitæ, quo casu viro bono licet injuriam, sed legitime vindicare.

IX. Injurias ad se delatas, quibus præcipue bono publico nocetur nocetur Magistratus sine cunctatione debito modo, vindicet.

Pars namq; præcipua officii Magistratus in eo confitit, ut justè defendat bonos, & eos cum yrimis, quibus patrocinium debet & coerceat malos, bonis insultantes. Secus injustitiam distributivam impingitur; boni iuste premuntur & mali ad flagitia magis stimulantur, ipsaq; Respublica suis his fulcris destituta, corruit.

IX. Injuria non fit Volenti.

Quia aliàs malum quis vellet, quod absurdum; & quia ut agere justa est voluntarium, sic pati injuriam erit invitum. Fieri tamen potest interdum, ut etiam volenti fiat injuria v. g. si quis virginem consentientem insciis parentibus secum abduceret: aut si armiger sauli mandanti manus injecisset: aut si subditis advitia pronis omnis permitteretur peccādi licentia. His omnino volentibns magna fieret injuria. Sed distinguunt hic Ethici inter voluntatem rite compositā & defectu labrantem: inter absolutam & conditionatam: expressam

& tacitam. Itemq; inter injuriā veram & apparentē,
Vide D. Christ. Marth. Disp. Eth. 4. Coll. 3. VVendle-
rum in Ethica Heiderum & alios.

X. Injuriā inferre est majus malum, quam eam pati.

Quia majori cū vitiositate & vituperio est cōjuncta:
provenit ex injusticiæ habitu: pati verò ex dispositione
tantum: hinc Imperator Alexander dicere solebat: malo
ferre quam inferre, & quia ex perpeſſione iuſta plus
gloriæ & ſolatij quam iuſtā illatione resultat.

Juveni pio, modeſto, eruditionis ac Virtutis ſtudioſo.

Discipulo ſuo multum dilecto

Cæleſtis gratiæ incrementa !

Dedit a iuſtitia mens, & ſibi conſcia recti

Nulla, Deo fati tela tegente, timeret.

Vir qui iuſtitia ſolido munimine tectus,

Recta facit, nil huic ſors mala, viſq; nocet.

*Cuiq; ſuum tribuens, non laedit, viuit honeſtè,
juſtè commurat, diſtribuitq; bene !*

Hac ſtant orbis opes, virtus & ſumma potestas

Nititur hoc fulcro, quo recidente, ruunt

Præmetiis, Hillmanne, bonis Tibi iuſta probari

Innuis, & messis ſpem ſuperelleſſe bonam.

Gratulor achoritor, iuſtis his moribus inſta,

Firnius ut juris conſolidetur opus.

Splendida iuſtitia quondam ceu ſtella micabis

Contra & vim fati Vir bene reclus eris.

Fiat id ! & Numen ſtudiis benedicat ab alto,

Ut juris cultor, præſes & eſſe queas !

Paterno animo precatur & govet Præſes.

Dicere iuſtitiam nos, chare Hillmanne monebas

Erudiens linguis cum Pietate bonis.

Juſtitia ſpecimen doctum nunc edere tentas,

Juſtitia ſte quondam Doctor ut eſſe queas

Juſtus retribuat DEUS hoc Tibi ! jamque valeto

Sis memor hinc nostri, nos ſumus uſque Tuī.

*ad quod Tibi, preceptor fidelifime, pro fideliſi-
ſtitione tua gratas ex animo precor*

Johannes Christianus Cahlenus. Hall. Sax.

65604

Mölln mit Noten


ULB Halle
007 397 542

3



VD 19






Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black



Fortunante CHRI STO! 8
XERCITATIONUM ETHICARUM
Ad Lib. V. Ethic. Nicom. Aristot.
SEPTIMA,
De
JUSTITIA,
quam
PRÆSIDE,
On. FRIDERICO CAHLENO,
M. P. L. C. Gymnasij Rectore, Præcepto-
re suo æviternūm colendo, tueri
pro virili conabitur
GOTTFRIDUS HILLMANNUS
Camentio - Lufatus,
A. D. 10. Januarij, A. O. R. cīc Iœc LIX
In Auditorio Majori
boris ab II X. matutinis.

JENÆ,
Prelo Sengenvaldiano.